

Marmoutier Cartulaire blésois, 92

Homo quidam de Vendocino Randenus nomine dimisit nobis moriens in loco supra Vendocinum, qui uilla Domini appellatur, duos arpennos uineae Morenam el Mixtitiam nuncupatos. Hos Ingelbodus Brito de Uendocino abstulit nobis cum jam homo obisset, dicens eum seruum suum fuisse, cui et si carta contradiceret defuncti, nos tamen concordare potius cum iniustissimo peruasore quam placitare eligimus; unde tam illi quam et uxori ejus Hildegardi quator denariorum libras et decem solidos donauimus, filiis quoque eorum primogenito nomine Vulgrino quinque solidos, Fulcherio et Paganello tres denarios singulis, Hugo nihil inde accipiens vendit onem parentum gratis auctorisauit; ex quibus Ingelbaldus et Hugo ad nos in capitulum nostrum venerunt, donumque ibi fecerunt de uineis, ac super altare ecclesiae nostrae reportauerunt, quatuor reliqui auctorisauerunt hoc apud Vindocinum, diuisis in membrana qui utrique auctoramento interfuerunt.

His itaque peractis Odo rufus in cuius terra uineae soepedictae consistunt, dicens eas emptas, a nobis venditiones inde XV solidos requisiiuit, quos sibi paciscentibus nobis negauit se pro his uineas nobis nisi sub uicario auctorisare, quo scilicet superstate quietas eas haberemus, defuncto autem aut ab Odone aut ab herede suo releuaremus. Verum hoc cum iniustissimum appareret, homini tamen satisfacimus, donantes illi decem solidos super prefatos quindecim atque ita uineas nobis in perpetuum auctorisauit in curia Heruei de Lauarzino, testibus istis.

Gauscelino monacho nostro de Buziaco tunc temporis preposito, per cuius manum facta fuerunt haec omnia, et primoribus de Lauardino omnibus, qui tunc curiae inerant [aderant].